Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 707
Quelle:
Copyright:

esse veteribus Codicibus notant *Mauriani*, qui tamen post alios illum inter dubios retulere T. V. *col.* 1485. Textum nostrum secundis curis revisum fuisse, jam in principio dixi.

Praetensum illi est Folium Necrologii a *V. kal. Aug.* ad *Idus* mera referens Monachorum Nomina, nisi quod ad IV. *kal.* legatur *Stephanus parisiensis episcopus.* Obiit hic hujus nominis I. verisimilius anno 1143. ut habes *Galliae christ.* T. VII. *col.* 64. de die vero Documenta ibi relata non concordant. Necrologium Eccl. *Paris.* adsignat II. *Non. Maji*, Epitaphium renovatum III. *kal. Aug.* Obituarium vero S. *Victoris* nobiscum facit pro IV. *kal. Aug.* Quid vero, dices, *Cisterciensibus Austriacis* cum Episcopo *Parisino?* Expende Monachorum defunctorum Nomina, et plurima deprehendes in *Galliis* olim usurpata, unde statues, Necrologium istud non in *Monte Pomario Austriae* scriptum, sed peregre inde adlatum, unde totus Ordo *Cisterc.* ad nos propagatus est.

Ad calcem Codicis Librarius:

Perscripsi librum dictis euuangeliorum
Quorum uirtute constat mundo uia uitę.

Alia manus: *Nota, quod frater iohannes recepi me hic in paumgartenperge illo tempore quando Tatarij dicebantur esse venturi Anno Domini MCCLXX* (suspicor tertium X. erasum) V. Reipsa secunda illorum in *Poloniam* irruptio contigit a. 1287. His accedit ejusd. Sec. manu pia ad Angelum tutelarem Precatio, et variae Gnomae v. g.

Non est in mundo Dives, qui dicat: Abundo.
Si possent Homines mundum sibi perpetuare,
Tunc Homo perpetuo mundum deberet amare.

Demum Donatio: *Notum sit omnibus fidelibus christianis, quod quidam homo membertus nomine delegauit super altare S. iacobi pomgartenberce quandam mulierem nomine mabetildam ad censum V. denariorum. Vlsalcus.* quem testem puto.

CCCXXXI.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 156. f. eleganter exaratus, minioque distinctus S. *Augustini* sequentia complectitur: I. *Incipiunt sermones in Sancto Matheo evangelista.* Praeit Elenchus *Sermonum* XXIII. quem collatum cum Edit. *Maur.* T. V. hic exhibeo: R.61

Sermo